L. W. Schaufuss

1. Descriptions de coléoptères nouveaux
2. Coléoptères aveugles de la famille des Colydidae.

Ann. de la Soc. Entomol. de France
1882. Paris





DESCRIPTIONS

DE

COLÉOPTÈRES NOUVEAUX

Par M. le Dr L.-W. SCHAUFUSS.

I

De quibusdam Coleopteris novis.

(Séance du 13 Juillet 1881.)

1. Triarthron cedonulli, nov. sp. — *Oblongo-avale, convexum, testaceum, nitidum; elytris profunde punctato striatis, interstitiis punctulatis; capite subtilissime, utrinque parum profundius disperseque punctulato; thorace transverso, angulis rotundatis, lateribus utrinque parum rotundatis, punctato; scutello profunde punctato. — ♂. Femoribus posticis compressis, infra basin excisis, medio dilatatis denticulatisque; tarsis anticis subdilatatis. — ♀. Femoribus posterioribus valde compresso-dilatatis, apice acutis.* — Long. large 2 mill.; lat. 1 1/3 mill.

Hab. California.

Minor et paullum clarior colore quam *Tr. Maerkeli*. Elytrorum media pars paullum obscurior pellucida esse videtur et ibi elytra tenuiora puto quam ad latera. Habitus pedum, antennarum, capitis, discrimen sexus *Erichsoni* generis descriptioni respondet, sed quatuor femora posteriora ♀ valde dilatata et postica apice acumine spiniformi ornata sunt. Thoracis anguli antici obtuse rotundati prominent; margo anticus supra visus antice rotundato-ampliatus est, item basis ad posticem. Thorax regula-

riter punctatus, eo modo, ut inter bina puncta spatium intersectus sit, quod aliam puncturam paris rationis concederet. Scutellum triangulare postice paullum prolongatum medio nonnullis magnis punctis ornatur. Octo in elytris ordines punctorum crassorum non sunt regulares; quinque primi eorum recti, quintus se postice cum octavo coniunget, linea marginalis fere item punctatus est, interstitia subtilius punctata ; dum secundum duplicem seriem punctorum præbet, cetera, latiora, ejusmodi sunt punctati, ut si puncta seriatim posita sint tres series formaverint.

Dom. S. A. L. Brannan legit, ♂ a. d. VI. Idus Julias MDCCCLXIX apud Cisco ; ♀ a. d. IV. Idus Junias apud Sacramento. — Coll. Mus. Ludov. Salvat. Blasew.

2. CURCULIONELLUS NITIDUS, sp. nov. — *Castaneus, antennis elytris pedibusque plus minusve rufescente-castaneis, valde nitidus; antennis articulis tribus ultimis paullo majoribus, subovaliformibus; capite elongato, longitudinaliter sulcato, postice sulco bicurvato, oculis prominulis; thorace subhexagono ante basin curvato-impresso medioque foveolato; elytris postice dilatatis, vix convexis, stria suturali alteraque incurva tenui impressis; abdomine disperse erecte setuloso, articulo primo maximo.* — Long. 2 1/3 mill.; lat. fere 1 mill.

Hab. Nov.-Guinea. Mus. reg. Holmiæ.

Curculionello angusticolli, a dom. Westwood in Thesauro descripto (pl. IV, fig. 5) simillimus, etiam abdomine et pedibus, differt autem thorace lævi, nec granulifero, foveola ante profundam lineam basalem curvatam prædito, antennarum articulis tribus ultimis validioribus atque ovatis et antennis totis brevioribus.

OBS. Palpos maxillares detegere non potui in exemplari unico a museo regio Holm. mihi communicato. Si non defracti sunt, *Callithoraci* genere (Motsch.) adscribendus esset *C. nitidus*, nisi Motschoulskii verba : « antennes très velues » obstarent. *Ora dissecare* mihi non permisi, quod experimentum ad genus constituendum opus est.

3. BRYAXIS AURIVILLII, nov. sp. — *Rufo-castanea, antennis pedibusque testaceis, nitida; antennis 10-articulatis, articulis 8° transverso, 9° subquadrato cum ultimo crassam clavam formantibus; capite vix convexo, postice bifoveolato; thorace subcordato, postice medio puncto impresso, basi linea insculpta utrinque minute foveolata; elytris convexis, utrinque*

rotundatis, ad basin subangustatis, stria suturali, altera abbreviata distinctis ; abdominis segmento primo maximo, utrinque ad medium plica incurva abbreviata prædito. — Long. 1 1/3 mill., lat. vix 2/3 mill.

Hab. Surinam. Duæ modo mihi notæ sunt læsæ, altera in Mus. reg. Holm., altera in Mus. Lud. Salvat. Blasew. — In honorem Dom. Chr. Aurivillii, doct., denominavi, cui maximas gratias debeo, quoniam me ad monographiam meam Adraninorum nuper publicatam perficiendam iuvit, Dalmani typum celeberrimum communicans.

Bryaxi subfoveolatæ (Schauf.) propinqua et habitu similis, sed minor est, elytra planiora, striæ suturalis alteraque discoidalis abbreviata profundæ et distinctiores sunt. Fovea inter antennas nulla, ex duobus foveolis capitis posticis impressiones lineares ad apicem oriuntur, ubi confluunt.

4. Trichonix torquatus, nov. sp. — *Rufo-castaneus, ore, antennis, pedibus pallidioribus ; antennarum clava voluminosa ; capite hipposideriformiter impresso ; thorace convexo, breviter cordato, basi linea curvata valde impressa ; elytris subquadratis parum convexis, lateribus subrotundatis, stria suturali ad posticem evanescente, ante basin octofoveolatis plicatisque.* — Long. fere 1 1/2 mill.; lat. 3/5 mill.

Hab. Surinam (Barent Lyon). Unicum in Mus. reg. Holm.

Faciliter recognoscenda est hæc species impressionibus et capitis hipposideriformi, postice patente, et thoracis simplici sed distincta, lineari, postice medio subangulata atque plicis *non ad, sed post* basin elytrorum.

5. Espeson (gen. nov.) moratus, nov. sp.

Pselaphinorum spuriorum speciem novam ex insula Sanctus-Thomas nuper accepi gravissimam novo genere *Espeson* mihi appartinentem, tarsis *tri*articulatis. Esp. *moratus* mihi est forma subcylindrica, colore ferrugineo, thoracis lateribus vix crenulatis, elytris punctulato-setulosis.

Descriptio diligentior et figura Genuæ in monographia familiæ nunc publicantur.

II

Coléoptères aveugles de la famille des Colydidæ.

(Séance du 9 Novembre 1881.)

STYLULUS Schauf., nov. gen. (στῦλος, *stylus*).

Oculi nulli. — Antennæ moniliformes, 11-articulatæ, clava 3-articulata. — Mandibulæ porrectæ. — Palpi maxillares articulis primo et secundo æqualibus, latitudine longioribus, tertio late-ovato, ultimo minutissimo, subuliformi. — Coxæ anteriores subcontiguæ, posticæ distantes. — Tarsi antici quinque-, posteriores quadriarticulati. — Abdomen quadriarticulatum, segmento primo fere tres sequentes magnitudine æquante.

Forma fere *Rhizophagi*, at capite angustiore, cum mandibulis acuminato. — Scutellum non observatum.

STYLULUS NASUTUS, sp. nov. — *Elongatus, parallelus, testaceus, antennis, pedibus, palpis pallidis; antennis setiferis; capite elongato, apice subito angustato, lateribus vix rotundatis, subtilissime coreaceo, disperse setuloso, utrinque setis duabus vel tribus majoribus, inter antennas usque ad frontem longitudinaliter biimpresso, supra antennarum insertionem ad posticam partem carina elevata; thorace latitudine longiore, lateribus rotundatis, postice angustatis, angulis anticis rotundatis, non prominulis, posticis fere rectis, subtilissime disperse setuloso, in angulis anticis seta magna, basi utrinque linea impressa, medio linea longitudinali elevata, postice abbreviata, utrinque vix impresso; elytris parallelis, humeris posticeque rotundatis, coriaceis, setulis vix conspicuis præditis; femoribus subclavatis, trochanteribus posticis fere 1/3 femoris longitudine, curvatis, apice obtusis; tibiis anticis subinflatis, valde excisis, apice spinulosis.* — Long. 1 mill.; lat. fere 1/3 mill.

Hab. Ins. St-Thomæ.

CRYPTOZOON Schauf., nov. gen. (*κρυπτός, occultus ; ζῶον, animal*).

Oculi nulli. — Antennæ 11-articulatæ, clava 4-articulata. — Palpi maxillares articulis primo minuto, secundo fere securiformi, tertio dimidia longitudine præcedentis, fere triangulari, ultimo longitudine duarum præcedentium. — Palpi labiales articulis secundo minuto, ultimo brevi, corpulento. — Coxæ parum distantes. — Abdomen 5-articulatum.

Forma *Agleni brunnei*, at minus convexum, minus nitidum, differt etiam thorace magis quadrato, antennis articulis quatuor ultimis claviformibus, utrinque serratis. Antennarum articulis primo et secundo latitudine longioribus, inter se subæqualibus, tertio subquadrato, 4-7 transversis, 8-11 valde transversis, majoribus. Plaga gutturalis postice dilatata, utrinque subtiliter marginata, lævis. Mentum trituberculatum. — Mandibulæ et scutellum non observata.

1. Cryptozoon civile, sp. nov. — *Elongatum, subparallelum, ferrugineum, subopacum, supra subtusque, excepto prosterno, subtilissime densissimeque punctulatum et disperse, in elytris fere seriatim, cribrato-punctatum, punctis pilis brevibus ornatis; capite transversim-quadrato, utrinque postice parum angustato, thoracem 3/4 latitudine æquante; thorace subquadrato, transverso, ad basin vix angustato, angulis posticis fere rectis, antice vix prominulis, utrinque tenuiter carinato; elytris lateribus apicem versus leviter rotundato-angustatis, parum convexis, marginibus crenulatis; abdominis segmentis quarto et quinto basi impressis; femoribus tibiisque ad apicem vix dilatatis.* — Long. 1 2/3 mill.; lat. 2/3 mill.

Hab. Porto-Rico.

Specimen unum differt thorace linea media longitudinali *haud* punctata.

2. Cryptozoon nitidicolle, sp. nov. — *Elongatum, subparallelum, ferrugineum, subnitidum, in capite elytrisque cribrato-punctatum; capite transversim-quadrato, utrinque postice vix angustato, nitido; thorace nitido, quadrato, lateribus ad basin leviter angustatis, antice parum rotundatis, punctis æqualiter dispersis notato; elytris marginibus crenulatis.* — Long. 1 2/3 mill.; lat. 2/3 mill.

Hab. Porto-Rico.

Capitis et thoracis interstitia *vix visibile* punctulata, elytrorum interstitia subtilissime coriacea. — Differt a *Cr. civili* corpore robustiore, thorace antice latiore, *nitido.*

Genus AGLENUS.

1. AGLENUS MAJOR, sp. nov. — *Piceo-ferrugineus, nitidus, glaber; capite thoraceque minus dense, elytris* disco distincte *punctatis; interstitiis subtilissime coriaceis, lateralibus capitis carinulatis.* — Long. fere 2 mill.; lat. 4/5 mill.

Hab. Andalusia.

Major et robustior quam *Agl. brunneus,* obscurior colore, puncta profundiora, distinctiora et etiam in elytrorum disco.

In nonnullis collectionibus sub *brunnei* nomine invenietur, ipse eum olim hac determinatione collegis dabam.

2. AGLENUS BRUNNEUS, var. nov. RUGIPENNIS. — *Elytris obsolete fere striato-punctulatis, interstitiis valde transversim rugosis.* — Long. 1 3/4 mill.; lat. 3/5 mill.

Hab. Græcia, leg. doct. Krueper Atheniensis.

